



DISPUTATIO IURIDICA

De

COMMODATO

ET

DEPOSITO

Quam

IN ILLVSTRI ACAD. IVLIA

SVB PRAESIDIO

Clariss. & Consultiss. viri

Dn. IOANNIS THOMAE CLVDII

V. I. Doctoris, professoris publici, nec non

Facultat. Iurid. p. t. Decani, præcepto-
ris honorandi,

A. D. XXIII. Aug.

publicè examinandam proponit

HENRICVS RICHARDVS
HAGEN

HELMÆSTADI,

Typis hæredum Iacobi Lucij.

ANNO MDCCXVII

38.

7/

1617,1

(2)

DISSERTATIO JURIDICA

DE

COMMODATO

ET

DEPOSITO

QUAM

IN ILLUSTRI ACAD. JULIA

SVB PRAESIDENTIO

CLAVDII G. CONRINGII VIRI

DR. IOANNIS THOMAE CLAVDII

V. I. DOCTORIS, PROFESSORIS PUBLICI, nec non

Facultatis Iurid. p. e. Decani, Praeceptoris

et honorandi,

A. D. MDCCLXXXIII. Aug.

scripti et examinati Praeceptoris

HENRICUS RICHARDUS

DETER

HELMSTADT

Typis hereditariis Jacobi Lucij

Anno 1783





REALIVM CONTRACTVVM

DISPVATIO III.

De

COMMODATO ET DEPOSITO.

THESIS I.

Ndebitum cum excipiat Commodatum §. *uerm is. 2. Inst. quib. mod. re contrah. obl. hocq;* statim Depositu insequatur. §. *præterea. 3. Inst. eod. Imp. Inst. ordinem secuturi*, de hisce duabus realium contractuum speciebus hac disputatione simul dispicere visum fuit.

2. De commodato quidem prioriloco, cum & illud Deposito Imp. præmiserit. Dicitur est commodatum qs. commo alicuius & maximè vtentis datum. Definitur idem per contractum Realem, Nominatum, bonæ fidei, quo vsus alicuius Rei gratis conceditur certo modo vtendi, sineq; præscripto. Ita *Duaren. inc. 1. ad rit. commod. Moz. eodem ferè modo. c. 1. de commod. n. 4.* Hisce addunt aliqui: vt eadem species nobis reddatur, quod tamen sub vtendi vocab. iam ante comprehensum est.

3. Contractum esse realem quis negare ausit? cum illud expressè affirmet. *d. §. 2. ac cum eol. In commodato. 17. §. 3. h. t.* tum etiam ipsa hoc dicat ratio, cum absq; rei interuentu commodatum contrahi non possit. Esse eundem & bonæ fidei contractum, videre est ex. §. *Actionum. 28. Inst. de Act.*

4. Dicitur præterea, *quo vsus alicuius rei conceditur*: quæ verba particulam differentiæ specificæ constituunt, vt intelligamus nec possessionem, nedum dominium in commodatarium transferri: cum ille nec possessor, nec dominus rei commodatæ

rectè dicatur. *l. rei commodata 8. ff. commod. argto. l. quod meo. 18. de
acquir. poss.*

5. Hoc itaq; præcipuè commodatum à mutuo differt, quod
non vt in mutuo, ita & hic dominium transferatur: duas adhuc ali-
as, minimè prætereundas eorundem differentias annotauit hic
Mozz. *de commod. c. 5. n. 4.* quæ itidem in *§. Item is. 2. Inst. de oblig. qua-
re contrab.* reperiuntur sc. illas; quod hic eadem species, in mu-
tuo idem genus restituatur. Speciem autem hic dicimus indiui-
duum; genus, quod Philosophus speciem dicit, vocamus: Secun-
dam differentiam facit illam, quod mutuatarius & casum fortui-
tum præstet, *§. Item is. 2. Inst. d. t. commodatarius vero minimè.*

6. Additur, *gratis*, vt distinguatur à locatione & conduçio-
ne: gratuitum enim debet esse commodatum, cum aliàs alterius
contractus nomen induat, *d. §. 2. l. si vt certo. 5. §. rem. 12. Inst.*

7. Ultimo loco adiecimus, *certo modo v. di fineq; præscri-
pto*: idq; propter precarium, quod non ad certum vsu concedi
solet, sed precibus petentis vtendum conceditur tamdiu, quo-
ad is qui concessit patitur. *l. 1. ff. de precar. Duar. c. 1. ad h. n. t. Mozz.
c. 1. de commod.* In quibus præterea hæc duo, commodatum sc. &
precarium distent, vide ap. Mozz. *d. tr. Duar. v. ult. ad tit.
commod.*

8. Ex eo etiam furtum committere dicitur qui aliter re com-
modata vtitur quam ei nominatim concessa est, & furti actione te-
netur. *l. si vt certo. 5. §. quin imò. 8. ff. hic. l. si iumenta. de furt.* nisi fortè
putauerit, facile commodantem sibi permissurum vt commodata
re hoc vel illo modo vtatur. *l. qui re sibi. 76. ff. eod.* tum enim furtum
committere dicendus non est.

9. Diuisionem quod attinet dicimus cum Mozz. *c. 2.* non in-
commodè diuidi vt aliud commodatum sit, & quidem propriè ta-
le, quod gratia vtentis fit, item aliud quod vtriusq; gratia celebra-
tur, cuius nobis exemplum præbet. *l. in reb. 18. in princ. hic.* aliud de-
niq; quando solius commodantis caussa res quædam commodan-
tur, quale exemplum Vlpianus refert, *in d. l. si vt certo. 5. §. Interdum
10. ff. hic.* Quæ accuratè hic tenenda sunt, cum & diuersum Ius in-
ducant; de quo etiam infra pluribus dicendum erit, vbi quidnam
à com-

à commodatario in commodati actione praestandum veniat con-
siderabimus.

10. Porro cum de definitione & diuisione commodati nobis
iam satis constet; quænam præterea res commodari possint, quæ-
nam item personæ rectè illud contrahant, superest adhuc vt ex-
ponatur.

11. Commodari itaq; possunt Res tam mobiles, quàm Immo-
biles siue soli, l. 1. §. 1. h. t. Imò quod magis est, etiam Incorporales
res in hunc contractum deduci posse videtur, ex d. l. 1. §. 1. in fine, vbi
ex Viuiani sententia & habitationem, (quæ certè in Iure confi-
stit. §. pen. Inst. de usu & habit.) commodari posse refertur. Nec
minus alienam, quàm propriam rem alienare licet. l. commodare. 15. *commodare*
& seq. ff. h. t. Res quod attinet eas, quæ usu consumuntur, de il-
lis Vlpianus tradidit. in l. sed mihi. 3. §. fin. quod commodari ne-
queant, nisi ad pompam vel ostentationem, vt loquitur. d. l. 3. Vsu
autem consumi dicitur quod prodesse commodatario nequit, nisi
absumatur. Propriæ item res mihi commodari nequeunt, cum
in commodato rei commodatæ possessio & dominium penes
commodantem resideat, quod hoc casu fieri non potest.

12. Personæ quæ commodare possunt, sunt tam malæ, l. 16. h. t.
quam bonæ fidei possessor. Tam pater, quam filiusfam. tam ser-
uus, quam liber. l. si seruus. 14. h. t.

13. Et possunt quidem commodato dare omnibus, qui de Iu-
re prohibiti non inueniuntur: Impuberi & furioso propter defe-
ctum consensus commodare non possumus, ita sc. vt actionem
commodati contra eosdem intendere concedatur. l. 1. §. 2. ff. h. t.
nisi locupletior factus sit. l. 3. ff. eod. Ad exhibendum agi tamen po-
terit hoc casu, cum ipsa hoc suadeat æquitas. Duar. c. 7. ad h. t. mo-
tus l. 14. de condict. in deb.

14. Atq; hæc hæctenus, de definitione, diuisione, atq; con-
stitutione ipsius commodati, quinam sc. & quas res, & quib. per-
sonis commodato dare liceat, breuiter dictum sit. Superest, vt
etiam addamus quomodo idem dissoluatur, quænam exinde actio
oriatur, & quidnam in eandem veniat.

15. Dicimus duobus potissimum modis commodatum dif-
solui. Primo quidem finito eo usu, ad quem res primò commo-
dat^a

data fuit. *Secundo* morte commodatarij non vero commodantis.
Mozz. c. ult. de commod. n. 3.

16. Finito ita commodato, tam commodanti quam commodatario, mutuae actiones proditae sunt, quibus alter alterum, quantum interest, convenire potest.

17. Earum autem actionum quae ex hoc contractu descendunt duae sunt: Vna *directa*, quae commodanti datur aduersus commodatarium: Altera *contraria*, quae commodatario aduersus commodantem concedi solet. Ac quoniam duae illae actiones ex commodato prodeunt, ideo etiam tit. in ff. inscriptus est Commodati vel contra *Duar. c. 3. in pr. ad h. t.*

18. De vnaquaque; har. actionum separatim tractandum venit. Et primo quidem *Directa* commodati actio, varijs ex causis contra commodatarium intendi potest; quar. exempla aliquot. *in ff. h. t.* tradita inveniuntur, *ex. gr. in l. si ut certo. §. 9. h. t.* Vbi si quis altere re commodata utatur quam data est, non commodati solummodo sed & furti actione conveniri posse.

19. Ita in *l. 3. §. 1.* Si deterior res, commodata reddita fuerit, quam tibi ego illam dedi, huic *directae* actioni locus conceditur: quia res reddita non videtur quae deterior reddita: quod bonae fide hic semper agendum sit, i. e. ne scientes volentes deteriorem rem commodanti restituamus quam nobis credita fuit.

20. Vnde dubitatur: si forte deterior res commodata facta fuerit, nulla accedente commodatarij culpa, quid tum dicendum, an etiam eo casu *directa* aduersus commodatarium actio concedenda sit? Minime gentium quidem propter textus. *in l. Enm qui. §. 1. ff. h. t.* Atq; haec ferè sunt causae ex quibus *directa* commodanti actio dari consuevit.

21. *Contraria* commodati actio, qua agit commodatarius aduersus commodantem, ut quod sua interest ab eo consequatur, non ob pauciores forte causas quam prior illa intentari potest. Ex. gr. si quid in rem commodatam impenderit sine quo alias res conseruari non potuisset, ut si quis valetudinis causa in seruum commodatum impensas fecisset. *ut est in l. In reb. 18. §. 2. hic.* ille hac actione agere non prohibetur. Quod tamen cum duplici distinctione. *in d. l.* profertur: primò enim impensae distinguuntur
an for-

an fortè aliàsà commodatario rei commodatæ debeantur, vt cibaria commodato seruo debentur. Secundò an etiam impensæ illæ magnæ an vero exiguæ fuerint.

22. Agitur quoq; contra commodantem si prius ille rem repetijt quam in principio conuenerat: quamuis enim in arbitrio eius positum sit legem rei commodatæ ponere, posteaquã tamen perfectus contractus & consummatus est, retractare antea placitæ non potest. Ea enim quæ ab initio voluntatis sunt postea necessitatis fiunt.

23. Tertio aliud est exemplum *in l. in rebus. 18. §. 3. hic.* Si quis sciens vasa vitiosa commodauit, & infusum oleum vel vinum corruptũ effusumue sit: condemnandus eo nomine est, vt ibi textus loquitur. Atq; ex hisce ferè causis huic contrariæ actioni locus datur.

24. Minimè nunc hic prætereundum est, quod contraria hæc actio etiam absq; directæ seu principali moueri possit. *l. in commo- dato. 17. hic.* atq; hoc æquitatis causa placuit, cum aliquando fieri posset vt commodatario, etiamsi rem commodatam habeat, neq; per directam à commodante repetatur, nihilo minus damnum ex ea recipiat, quod tamen ferendum non fuit. Talis casus formari potest. *ex d. l. 18. §. 2. ff. h. r.*

25. Insuper tenendum hic est, quod aliquando commodati actio cum alia aliqua concurrere posset, vt cum actione L. Aquiliæ. *d. l. 18. §. 1.* aliquando accedere quoq; furti actio possit. *l. 5. §. 8.* Ita tamen vt vna electa altera pereat. *Duar. ad h. r. n. c. 4. & sepius. d. l. 18. §. 1. hic.*

26. Tandem vt etiam sciamus, quidnam in hanc commodati actionem veniat, subseruiet nobis illa quam superius posuimus commodati distinctio: diuersum enim eadem Ius iuducit, vt iam iam ad oculos patebit.

27. Si itaq; *soliis commodatarij gratia* commodatum factum sit, quod propriè commodatum dici debere, supra notauimus, tum & dolus, lata, leuis, & leuissima culpa præstanda est. *l. si vt certo. 5. §. 1. l. in reb. 18. in pr. ff. hic. §. item is. 2. Inst. quib. mod. re contrah. obl. Moz. de commod. c. 2. n. 2. & 3.* Quid sit dolus traditur. *in l. 1. de dolo. sc. Machinatio ad circumueniendum alterum adhibita.*

Culpæ

Culpa vocab. in latam, leuem, & leuissimam, vt nemini non notum est dispesci solet, quid vnaquaq; sit ex exemplis optime perspici posse mihi certum est, qualia quis à Duareno *in cap. ult. quod de Offic. Iudic. in act. commod. inscribitur* petere poterit. Nos adscribere omnia iam non possumus. Lata tamen culpa plerumq; dolo æquiparatur, cum non facile quis præsumatur (cui modo prima adhuc principia satis integra sunt) tale quid committere absq; dolo siue animo fallendi.

28. Quod si *utriusq; gratia* commodatum initum sit, dolus & culpa præstanda veniunt. *l. 18. hic.* Si vero *solius dantis causa* celebratus fuerit, tunc si de dolo satisfecerit, à culpa immunis est, *l. 5. §. Interdum. 10. hic.*

29. Casum autem fortuitum commodatarius non præstat, idq; ex earatione, quod species absq; sua culpa interierit, neq; valeat ille tum eam rem restituere: quod longe aliud est in mutuo, vbi idem genus redditur, quod non tam facile quam species (vt hic speciei vocab. sumimus) interitui obnoxium est. Quod si de casu fortuito præstando conuenerit, præstandus & ille erit. *l. 1. C. h. t.* siue etiam aliqua culpa vel mora commodatarij accedat, idem iuris est. Furtum autem quod culpæ annumeratur aliquando præstabit. *Duaren. c. 8. de offic. iud. in act. commod. hic. & argumento l. cum duobus. 52. §. damna 3. in fin. ff. pro soc.*

30. Hoc itaq; ius in commodato constitutum est, & regulariter ita obseruatur; Si tamen pacta conuenta addita fuerint, & illis standum erit: conuentio enim dat legem contractui, *l. 1. ff. depositis* si modò non sit contra naturam & essentiam ipsius contractus vel contra bonos mores: Ea de causa pacisci nunquam potest in contractu ne dolus præstetur, quia cum ipsa contractus natura hoc statim pugnat, & occasionem delinquendi aperit,

31. Quid autem eo casu statuendum, cum res commodata amplius non extet? Litis tum æstimatio actori concedenda est. In hoc itaq; iudicio non minus vt in pluribus alijs in litem iurari poterit. *l. in actionib. de in litem iurand. l. 3. §. 2. hic.* In litem verò iurare est iure iurando litem æstimare, *Duar. c. ult. ad h. t.*

32. Queritur etiam in hac materia vt est *in l. 3. §. 4. hic.* Si *hiofam.* res commodata fuerit, contra quemnam actio danda sit.

con-

contra patrem an vero filiumfam.? Responsio est, *in l. si quis cum.*
44. *de pecul.* contra utrumq; patrem quidem, quatenus in peculio
est filij: contra filium verò in solidum.

33. Item dubitari potest an filiusfam. patri suo aliquid com-
modare possit? In qua quæstione distinguenda sunt peculia & ex-
pediri haut difficulter poterit. Castrensia enim & qs. castrensia,
cùm nihil in illis parens iuris obtineat, recte commodabit. Ex
profecitijis nihil, cum pleno iure ad parentem illa pertineant, ne-
que res propria commodari queat. Ex adventitijis proprietatem
commodato parenti dare non prohibebitur.

Atq; tantum sit de Commodato.

34. Nunc rectè ad depositum pergimus. Eò succinctius de
illo dicturi, quod quædam fortè hic occurrent, quæ cum superius,
dictis plurimum conveniant, atq; ex illis magna ex parte cogno-
sci facilè queant.

35. Depositum autem dicitur à præpositione DE & verbo
pono, *l. i. in pr. hic.* Potest definiri quod sit Contractus realis, bonæ
fidei, quo res custodienda gratis alteri traditur, vt eadem species
non genus reddatur, eo tempore, quo deponenti visum fuit.

36. Esse *contractum reale*, & quidem bonæ fidei non hic a-
deò prolixè probamus, neq; etiam opus esse ducimus, præser-
tim cum iisdem ex locis illud probare, quibus commodatum ta-
lem contractum esse superius ostendimus, difficile non sit.

37. Attamen *bonæ fidei* hunc esse contractum, vel ex hoc vnicò
id intelligitur: quod, etsi regulariter res deposita ipsi deponenti
restituenda veniat, nihilominus tamen propter æquitatem & al-
teri aliquando quam deponenti reddi debeat, cuius rei exem-
plum habemus. *in l. bona fides. 31. ff. depos.*

38. Dictum est *quo res custodienda*: ad differentiam sc. com-
modati, quo res non custodienda, sed vtenda concedi solet. At-
que hoc ipso à commodato abit, cum quo alias plura ei commu-
nia sunt. *Gratis* additum, vt intelligamus distare à locato con-
ducto quod gratis fieri non solet.

39. Deinde posuimus *Alteri traditur*: vt sciamus rem non
dari. *vt pr. l. i.* valde improprie loquitur, i. e. dominium & posses-
sionem non transferri, verùm deponentem rei depositæ domi-

B

num

num remanere. Vbi tamen difficultas, *ex l. licet. 17. §. rei. 1. hic.*
& l. Interesse. 39. de acqu. possess. emergit, de qua in ipsa disputatione
Deo dante, locus forte tractandi erit.

40. Tandem: *ut reddatur quodcumq; deponenti visum fuit: ar-*
gumento. l. 1. §. si deposuero 41. hic. quia solius deponentis interest,
non depositarij, ideò licitum etiam est, voluntatem mutare.
Duar. c. 3. hic. quod tamen vsquequaq; verum non est, sed fallit
quandoq; in aliquib. casib. quorum 4. recenset Mozz. *hic c. ult. I.*
Cum quis gladium deposuit, post deinde in furorem coniectus
repetat. II. Si deportatus fuerit deponens, eiusq; bona publica-
ta: qui enim malè meruit publicè, vt exemplo alijs ad deterrenda
maleficia sit, etiam egestate laborare debet: verba sunt, *l. Bona fides.*
31. hic. III. Quando fur deposuit, tunc si dominus rei furto ablata
adlit, ei restituendum est. *d. l. 31. hic.* IV. Quando fur rem furti-
uam ap. dominum rei deposuerit: quamuis in id depositum verè
non sit.

41. Porro duplici ex causa Res deponi rectè posse existimo,
vnde diuisionem huius contractus sumere licet: vel enim depo-
nentis gratia, quod quidem propriè depositum est, & dici potest,
vel vtriusq; gratia, quod impropriè ita vocatur: de quo *in l. si quis*
nec causam. 4. ff. de reb. cred. Philip. Dec. ad l. contractus. 23. de
R. I. n. 2.

42. Rectè itaq; aliud proprium, aliud improprium depositum
vocari poterit. Posterioris Exemplum nobis iterum suppeditat.
l. die sponsalior. 25. §. 1. ff. hic. Mozz. de deposito. c. 2. n. 21. quem vide
per totum: vbi plures depositi diuisiones inuenies.

43. Personas quod attinet vnicuiq; siue seruus ille, siue liber
sit, quemadmodum supra de commodato quoq; diximus, depo-
nere concessum est. *l. 1. §. non solum. 27. hic. vbi de seruo hoc effertur.*
Imò & prædo, & fur rectè deponunt, *l. 1. §. si prædo. 39. ff. eod.* Et tam
ap. plures quam vnum, tam à plurib. quam vno, hic contractus ce-
lebrari potest. *l. 1. §. si apud dnos. 43. & §. sed si duo. 44. h. t.*

44. An autem inter patrem & filium idem hic contractus iniri
possit, attingit hic *Mozz. c. 3. in fin.* de qua etiam quæstione se in
tr. de mutuo fusius egisse affirmat, eoq; illam refert. Contro-
uersa ideò esse videtur, quod res propria deponi apud dominum
eius

eius rei non possit. *l. qui rem. 15. & l. bona fides. 31. ff. h.* De qua nos ita statuimus, vt eadem distinctione, quâ superius in re commodata vti fuimus, cum eadem illa quæstio incidere, & hanc quæstionem de deposito dirimi ac decidi posse credamus.

45. Hæc de personis. *De rebus* ita sentimus. Omnes sc. res quæ alienari possunt, tam alienas, quam proprias deponere licitum esse. *argumento d. §. 39. l. 1. hic.* Res autem propria, vt modò diximus deponi ap. dominum eiusdem, rectè non potest, neq; depositum est, *d. l. 15. & 31. h. t.* Atq; in hoc etiam depositum à com-
modato non discrepat.

46. Anxie, hic vbi de rebus deponendis agunt, quærunt aliqui: quid de reb. immobilibus sentiendū sit, an & illæ ad exemplum mobilium rectè in depositum venire queant? Vtraq; opinio ex aliqua parte probabilis est, & suos etiam inuenit patronos. *Mozzius* quidem negat posse deponi *c. 4. hic.* Interim tamen sequestrari posse non negat, etiamsi sequestratio depositi species sit, de quo infra, plenius forte dicendi locus & occasio dabitur. Nos vt breuiter, quod res est, & quanam nobis de hac controuersia sententia sedeat, exponamus, dicimus, & certum nobis est, Immobiles non minus ac mobiles deponi posse, i. e. concedi vel commendari ad custodiendum. *argumento l. lucius 24. ff. hic.*

47. Hæc ita de definitione depositi, eiusdem aliquâ diuisione, Personis, & rebus, quæ in depositum venire possint, in præsentis sat dicta sunt. Nunc quomodo idem dissoluatur, quanam & qualis sit actio quæ ex hoc contractu resultet, quidq; in eam veniat superest vt consideremus.

48. Dissoluitur itaq; depositum, *Primò* contrario consensu, simulac res deposita restituitur. Vbi tamen speciale requiritur vt ipsa res deposita restituatur, siquidem adhuc extet; compensationi enim hic locus neququam est, quod in singularem huius contractus fauorem ita esse constitutum censemus, etiamsi aliàs in bonæ fidei iudicijs admitti soleat, in hoc tamen contractu expresse excipitur. *§. In bonæ fidei Inst. de Act. idem quoq; confirmatur. l. si quis. 11. C. de pos.*

49. *Secundò* extinguitur idem etiam depositum, si sc. res deposita in alium transierit contractum, puta si rem deposui, postea

permisi ut ea utaris: commodatum iam est, si verò ex intervallo eandem tibi vendidi, tunc & commodatum esse desinit, sed plene iure propter Emptionem ad te transit.

50. Atque ita fere finitur hic depositi contractus. Vbi duas hic producit quaestiones nobilissimas, *Mozz. c. ult.* quæ cum huius loci maxime sint, attingere tantum & ulterius disputandi materiam præbere, libitum est. Casus talis est. Si deponens à depositario rem depositam repetierit, eique dixerit, se hac die aliquem miserum, hisce vel illis signis additis, ac velle ut per eundem remitteret. Exaudit hoc astantium aliquis: qui, acceptis signis, depositarium adit, remque depositam sibi tradi poscit. Postea, recepta fugit. Ille alter re sua defraudatur. Quaestio est utrum deponenti aduersus depositarium agere liceat? *Mozz.* opinio est, non posse, cum nulla eius culpa subsit. Videbimus in disputatione quamam opinio præferenda.

61. Alterius quaestio occasionem sumit ex *l. si hominem. 7. §. fin. h. t.* eamque in facto Venetijs aliquando contigisse idem refert: Ibi aliqui diuersis temporibus deposuerant apud numularium pecuniam, hic postea bonis cessit, quaeritur an simul omnes admittendi sint, an verò potior ille habendus, qui prior deposuerit? Respondet *Vlp. in d. l. si hominem 7.* simul admittendos esse. Quæ utrum semper sequenda sic sententia, proba disquisitio indicabit.

52. Superest nunc ut quemadmodum antea pollicebamur, actionem etiam quæ ex hoc contractu provenit introspeciamus. Estque æquè ac Commodati duplex: Directa una, Contraria altera. *Directa* quidem datur deponenti aduersus depositarium: qui agit ad id de quo principaliter contractus initus est ut loquitur. *Duar. ad tit. depos. c. 2.* *Contraria* depositario, siue ei apud quem res deposita est, agere concessum est.

53. Dantur hæ actiones ex alijs atque alijs itidem causis. *Directa* quidem potissimum ob dolum. Eum enim solummodo depositarius præstat. *l. contractus. 23. de R. I. l. 1. §. fin. ff. hic.* hocque ideo quia deponentis gratia tantum depositum fieri consuevit. In illis enim contractibus, qui dantis solum causa sunt, dolus & lata culpa præstanda veniunt. Si solius accipientis interfit, propter
dolum,

dolum, latam, leuem, & leuissimam culpam, conueniri potest. Si tandem vtriusq; causa, tam dantis, quam accipientis, contractus iniatur, de dolo, lata, & leui tantum quis culpa tenetur.

54. De lata itaq; culpa non minus quam de dolo satisfacere depositarius tenebitur. *l. i. C. h. t.* hæc enim dolo æquiparatur, *l. Quod Nerua 32. ff. h. t.* De leui regulariter non tenetur nisi specialiter de eo conuenerit, *l. i. §. sæpè euenit. 35. hic.* vel se vltro deponenti obtulerit *d. §. sæpè.* vel etiam eo nomine aliquid acceperit, tum enim non amplius depositum dicendum erit.

55. De casu verò fortuito securus quidem ille est: nisi pactum & de illo præstando adiectum fuerit. De dolo autem pacisci non licet, quippe cum contra naturam depositi, i. e. contra bonam fidem ac bonos mores illud futurum sit, *l. i. §. illud 7. ff. hic.* Quin tamen inter deponentem & depositarium conueniri possit, vt hic non speciem eandem sed tantundem reddat, dubium nullum est. *l. die sponsaliorum 25. hic.* Neq; hoc pactum enim contra naturam contractus ita est, vt simul etiam contra bonam fidem esse (quæ hic præcipuè attenditur) dici queat. Quamuis propriè loquendo, depositum hoc casu non sit, cum notissimos eius terminos egrediatur vt Papinianus. *in l. lucius 24. ff. hic.* loquitur.

56. Datur porrò hæc actio in simplum, exceptis quatuor casibus, *in l. i. §. i. hic.* expressis: si sc. non tumultus, non incendij, non ruinæ, neq; naufragij causa depositum sit: Hisce enim casibus in duplum agi. *ex d. l.* satis perspicuè videre est.

57. Illi tamen qui actione hac conueniuntur, & infamia simul notari assolent, *l. qui depositum 10. C. depos.*

58. Non autem solummodo aduersus ipsum depositarium sed insuper contra eius hæredem in solidum intentari potest. *l. 7. §. i. hic. l. ex depositi 12. de O. & A.* Neq; quicquam obstât ei, quod modo dictum est, actiones ex maleficio defuncti, aduersus heredes dari saltem eatenus, quatenus locupletiores facti sunt: quodq; hæc actio ex maleficio esse videatur; non enim ex maleficio, sed ex contractu sc. depositi, ortum ducit, etiam si propter maleficiu agatur: illæ autem actiones quæ ita dantur, etiam aduersus heredes in solidum competere. *l. ex contractibus. 40. de O. & A.* docemur. Ad

pœnam tamen præstandam heres non obligatur, pro vt notat.
Duaren. c. 4. ad b. t.

59. Atq; de directa depositi actione tantum quoq; dictum fit. Sequitur *contraria*, quam depositario dari diximus, vt per eam indemnis sit, siue ne vllum damnum habeat. In hac tamen actione in litem iurari non potest, quemadmodum in directa fieri posse, *l. i. §. Indepositi. 26.* ostendit: non enim de fide rupta agitur, se de indemnitate eius qui depositum suscepit. Verba sunt, *l. ei apud. 5. ff. hic.*

60. Verùm enim uerò cum valde inter se cognatæ sint hæc *contraria depositi*, & prior illa *contraria commodati actiones*, quæ supra de ea diximus repeti hic pleraq; possunt; Vt ita superuacaneum videri possit, si ea ferè omnia quæ superius in *commodati actione* posuimus, hic repetere ac qs. crabem bis coctam apponere vellemus. Nobis ad finem pergendum e

61. Superest autem vt & de illa depositi specie quam *sequestrationem* dicunt, aliquid adijciamus. Faciemus tamen illud breuiter, cum plura proponere de ijs iam non liceat.

62. *Sequestrationem* dicimus depositi speciem, quando res litigiosa apud tertium aliquem (qui *sequester* vocari solet) deponitur, eo fine vt is postea eandem rem, ei qui in iudicio victor extiterit, restituat.


63. Depositum eam speciem esse probat. *l. ei apud. 5. §. 1. & l. 6. ff. hic.*

64. Per cætera verba distinguitur à priori depositi specie, vt & à reliquis contractibus. *Pr. mō* quod nulla res sequestrari possit, nisi litigium de ea ortum inter aliquos fuerit. *Deinde* etiam in illo differentia est, quod non possit ab vna aliqua persona, vt aliàs, sed minimum à duabus illa deponi.

65. Diuidi solet in *Voluntariam*, & *Iudicialem*: Illa est quæ ex conuentione partium fit: Hæc quæ ex Iudicis sententia etiam partibus inuitis oritur. Quæ omnia vltèrius persequi iam non licet.

Tantum itaq; de *Commodato* sit &
Deposito.

COROL-



COROLLARIA.

I. *Depositum naturam, nostrâ sententia, verè calluit Demosthenes, cuius factum Valer. Maximus lib. VII. cap. III. de vafrè dict. aut fact. scriptum reliquit, quod ipsius Valerij verbis iam referemus. Eius, inquit, astutiâ mirificè cuidam ancillæ succursum est, quæ pecuniam depositi nomine à duobus hospitibus acceperat, eâ conditione, ut illam simul utrisq; redderet. Quorū alter interiecto tempore, tanquam mortuo socio, squalore obsitus, deceptâ eâ, omnes nummos abstulit. Superuenit deinde alter, & depositum petere cœpit. Hærebat misera, in maxima pariter & pecuniæ & defensionis penuria, iamq; de laqueo & suspendio cogitabat. Sed oportunè Demosthenes ei patronus adfulsit: qui ut in aduocationem venit; Mulier, inquit, parata est depositi se fide soluere, sed nisi socium adduxeris, id facere non potest. Quoniam ut ipse vociferaris, hæc dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeretur.*

II. *Deposuerat etiâ olim Mercator peregrinus, apud hospitem suum vas argento factum impletum, metuens autem ille, ne fortè periculum sibi exinde crearetur, si tantum æris inibi inesse palàm faceret, se ait clauos ibi inclusisse, & petere ut vas illud hospes in suam custodiam reciperet, & rectè custodiret. Abiit tum ille. Alter, puta depositarius, ædificium interim aliquod extruit. Opus habebat clavis, neq; ibi, tum*

tem-

1993
temporis copiam eorum habere poterat. Adit itaq; creditum sibi vasculum, eâ intentione, vt tot inde interea clauos eximeret quot ei opus essent, postea totidem repositurus. Vbi aperuit, argentum conspicit, errorem deprehendit. Neq; diu cunctatus, argentum eximit, clauos reponit, vasq; claudit. Rediens ex interuallo Mercator, depositum reposcebat. Tradit hic vas. Ille aperto vasculò, ferrum pro argento inuenit. Hospiti rem vt gesta sit, indicat. Ille, credidisse se ei ferrum, ait, hocq; ipsum se ibi habere: neq; vnquam scisse se, neq; opinatum fuisse, tñt illic argenti contineri, diligentiozem se aliàs adhibiturum fuisse custodiam. Quæritur nunc quo modo mercatori subueniendum sit? Res est dubia, in disputatione videbimus vtrum aduersus deponentem agere possit vel non.

III. In omni materia disputandum esse Logicè, siue secundum eius præcepta, firmiter statuimus. Et in Iure ideoq; nemo vnquam rectè disputabit, nisi ille Oppositionem, Conuersionem enunciationum exactè, nec non & equipollentiam earundem, inprimis omnem concludendi formam probè sibi cognitam habuerit. Solidi aliàs hac in parte quicquam illum scire, ego vix, ac ne vix quidem crediderim.

F I N I S.



Heleusstedt, Diss., 1616-19

ULB Halle

3

004 592 670




neu A+13+23

V077







DISPUTATIO IURIDICA
De
COMMODATO
ET
DEPOSITO 1617,1

Quam

IN ILLVSTRI ACAD. IVLIA

SVB PRAESIDIO

Clariss. & Consultiss. viri

Dn. IOANNIS THOMAE CLVDII
V. I. Doctoris, professoris publici, nec non
Facultat. Iurid. p. t. Decani, praepo-
siti honorandi,

A. D. XXIII. Aug. (2)

publicè examinandam proponit

HENRICVS RICHARDVS
HABER

HELMAESTADI,
Typis haeredum Iacobi Lucij.

ANNO MDCLXVII